

NGRATVS non est (VIR ILLVSTRISSIME) qui cùm libenter debeat, gratias agit, non furtiuè nec remotis arbitris. Ita vt cui desunt facultates ad liberandam fidem, animo saltem & confessione gratus esse debeat. Altiùs insederat animo hæc cogitatio, dolebámque imprimis occasionem non nancisci opportunam, quâ tuorum erga me meritorum magnitudinem, gratúmque animi mei sensum profiteri valerem. Tandem quæsita se se tandem obtulit: cui ne videar deesse, totum quod in me est, hodiernâ die tibi persoluo, studiorum meorum primitias offero, voueo, consecro. Leue sanè & exiguum munusculum, non contemnendum tamen, tuum quippe, domi tuæ natum, enutritum, adultum, numeris omnibus aliquando absoluendum, amplissimi tui nominis auspiciis. Quid enim tanto & tam illustri viro duce non audeam sperare, qui secum reputans, miserum esse aliorum famæ incumbere, digna præstitit, quæ Majorum titulis inciderentur. Quorum nomen, morum probitate, purioris vitæ sanctitate, judiciorum integritate super æthera notum, non adæquauit modò, sed longè superauit. Et vt taceam, VIR ILLVSTRISSIME, quæ summo Imperij bono in tuo magistratu gessisti, tanquam trita nimis & pervulgata; testem appello Aruerniam, cujus cura à Rege Christianissimo tibi commissa; testem Oxytaniam, cujus præfuisti Comitiis, cum omnium ordinum admiratione; testes Aquisextanos Senatores, qui numen tuum, summo suo commodo, præsentissimum persenserunt. Mitto cætera, non enim patitur summa animi tui modestia, in laudes tuas Orationem meam longiùs excurrere; nec, si patitur, tantum onus suscipiam, ne eas culpâ deteram ingenî.

QVÆSTIO MEDICA
QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA
IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XXVII. NOVEMBRIS.
M. IACOBO DE BOVRGES, Doctore Medico, Moderatore.

Sunt ne fœminæ breuioris staturæ fœcundiores?

VIVENS quodlibet, naturâ duce veluti suæ legis oblitâ, votis omnibus æternitatem appetit; quam cùm nec alimentis, nec medicamentis, viuentium quisquam assequi possit (hunc enim quem nos agimus diem cum morte diuidimus) generationis beneficio indipiscitur; quâ simile in suum locum reponens, in id & languidam & inclinantem suam vitam confert, & quasi repuerascens, quodammodo perpetuus fit & æternus. Generationis autem hujus non vna eademque est ratio: plantæ jugiter alimento inhærescentes, & altissimis defixæ radicibus, cùm ad mouendum forent ineptæ, confusas ac perpetuò mixtas habuerunt maris & fœminæ vires, vt ex sese ipsis nullo alterius congressu progignerent. Animalium verò quædam sine coitu, affricatione solâ; alia per fœminei pudendi receptionem; nonnulla sine masculo intra se concipiunt; sunt, quæ solâ putredine generantur, nunquam partu; quædam modò ex putri materiâ, modò ex semine; sed mutilus est horum omnium & imperfectus procreandi modus. Nobilior est perfectorum animalium generatio; nata quippe ad præstantiora cognitionis munera, nec alimento penitùs affixa, omni impetu in generationem ruunt. In his maris & fœminæ sexum natura discreuit, κατὰ μὲν τὸν λόγον, τῷ δύνασθαι ἕτερον ἐξ ἑτέρου; κατὰ δὲ τὴν αἴσθησιν μορίοις τισί; & si quando generare debent, coeant commisceanturque necesse est, vt ex ambobus quasi vnum fiat animal.

GRAVIVS à mulieribus læsos putauerim, qui fœminam naturæ παρέκβασιν, ζῷον πεπηρωμένον primi vocauere. Æqualis est vtriusque sexus necessitas; nec marem, etsi ἔχοντα τὴν τῆς κινήσεως, καὶ τῆς γενέσεως ἀρχήν, per se quidquam efficere posse putandum. Ad generationem semen fœcundum fœminæ conferunt, & quæ fœtus vberrimos procreant, effundunt plurimum, crassum, viscidum, album, spumosum, temperatum, & spirituum benignitate perfusum: quod virili probè commixtum, vterus nec angustiâ, nec obstructione, nec contorsione, nec oris obliquitate impeditus, nec insigni intemperie affectus (quod suffitu non cognoueris) exsuscitat, & ad agendum impellit. Tum vis διαπλαστική materiam variè distrahendo, versando, figurandóque, intra septem dierum interuallum, omnium particularum simul & semel prima ducit stamina; πάντα ὁμοίως ἀρχή, καὶ πάντα τελευτή; omnéque conformationis opus diebus ad summum quadraginta duobus absoluit. Quo quidem tempore inania partium spermaticarum stamina, sanguine menstruo, copiâ & qualitate laudabili, διὰ τῆς τοῦ ὀμφαλοῦ προσφύσεως conuecto, expleri consueuerunt: qui toto gestationis tempore, per eandem viam ad fœtum deducitur, ad cujus alimoniam imprimis erat necessarius; prima enim, quæ vitam dedit hora, carpsit.

VT vitæ & mortis fatum à principiis nostræ generationis, ita ab ipsorum vbertate, vel paupertate, corporum proceritas breuiorque statura pendet. Nec solus calor natiuus per se incrementum moliri potest, nisi copiosa suppetat materia, quæ par sit corpori in omnem dimensionem extendendo. Quare toto cælo aberrant, qui de temperamento audent conjecturam sumere ex corpore vel majore vel minore: nihil obstat quominùs, quod molem habet ampliorem, vel quod angustioribus conclusum est limitibus, optimam omnium qualitatum commoderationem sortitum sit. Corpus quod neque densum sit, aut rarum; neque durum, aut molle; neque glabrum, aut pilis luxurians; quantæcumque magnitudinis extiterit, temperatissimum est censendum. Maléque admodum fœminas minores, aut humoris inopiâ, aut immoderatione caloris, steriles quispiam existimauerit. Vt æquabilem primarum qualitatum temperiem sortiri possunt; sic optimam partium omnium commoderationem ipsas obtinere nihil prohibet: mutuo quippe gaudent consortio aptus partium commensus, temperiesque laudabilis.

IDEM alimentum materia est nutritionis, accretionis, generationis: ἡ μὲν γὰρ ποσόν τι τὸ ἔμψυχον αὐξητικόν. ἡ δὲ τόδε τι, καὶ οὐσία, τροφή· quatenus verò superfluit, fit materia generationis. Vnde φυτὰ εὔζωα minùs feracia; obesi vt plurimùm sterilitate damnantur; primisque & vltimis vitæ temporibus infœcunda sunt animalia: absolutâ siquidem partium omnium nutritione, nihil superest reliquiarum. Molis majoris animalia minùs superflui congerunt, omni alimento in nutritionem, & augmentum partium absumpto; minora, plurimum: ex quo vtrumque copiosum generationis habetur primordium, semen & sanguis menstruus, excrementa alimenti vltimi, quod in membra distribuitur. Satiatis quippe partibus singulis, ruber & purus sanguis in trunco magnæ arteriæ redundans, vi trahendi eximiâ, quâ instructi sunt testes, pellicitur; vbi rubro colore in candidum mutato, seminis charactere insignitur. Et si mora desit tempestiua, huic adimplendo muneri, vt in libidinosissimis & petulantissimis, semen cruentum effunditur, nulla alterationis referens vestigia.

QVÆ animalia testibus carent, vt pisces, & serpentes, solósque meatus rectos obtinent, sunt ea omnia ταχύτερα πρὸς τὴν ἐργασίαν τοῦ συνδυασμοῦ. Simili ratione quâ εὐθυέντερα ζῷα, quibus nullis intestinorum gyris, præceps alimentorum cursus inhibetur, gulæ & insaturabili abdomini addicta sunt. Quæ vero testes habent, sed intùs abditos, vt auium genus omne, continuo veluti seminis orgasmo agitata, feruntur tota ad libidinem. At quæ castiora esse conuenit, punoremque vitæ modum tenere, vt testes habuerunt foris prominulos, sic ἕλικας ἔχουσιν οἱ πόροι: ne libido vehemens crebráque incitetur. Non hæc fortuitò sanè aut temerè facta sunt, fœcundioribus natura stimulos addidit majores, vt vberrimo fœtu terram mariáque frequentarent. Animalium enim alia sunt πολυτόκα, alia ὀλιγοτόκα, alia μονοτόκα. Vt plurimùm vnum edunt fœtum τὰ μώνυχα: paucos gerunt δίχηλα: vberrimos πολυσχιδῆ: quod vt plurimùm cum ijs differentiis, corporum staturæ consentiant: partus quippe copiosioris aut parcioris causa, ad magnitudinem vel paruitatem referenda venit: quò enim majore sunt corpore animalia, hòc minùs fœcunda sunt; Singulos gignunt elephanti, cameli, equi; acanthis, auis minima, duodenos. Pisces tot ova, vt vulva vnum esse ovum, in parvis quidem pisciculis esse videatur. Sunt enim hi fœcundissimi, vt in cæteris quoque tum plantis, tum animalibus euenit. ἡ γὰρ τοῦ μεγέθους αὔξησις τρέπεται ἐπὶ τὸ σπέρμα τούτοις.

Ergo fœminæ breuioris staturæ fœcundiores.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Dionysius Puylon.
M. Ioannes Baptista de Reuelois.
M. Fabianus Perreau.
M. Edmondus Charrier.
M. Raphaël Maurin.
M. Ludouicus Gallois.
M. Jacobus Renaut.
M. Nicolaus Langlois.
M. Gilbertus Puylon.

Proponebat Lutetiæ MATHÆVS THVILLIER Ambianus, A. R. S. H. M. DC. LXIV.